

690.

ADVERSARIA
DE

~~42~~ 150

HISTORIA MORBI
ARIADNAEO IN PRAXI MEDICA FILO.

AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

D. GEORG. RVDOLPH. BOEHMER

ANAT. ET BOT. PROF. P. O. FAC. MED. H. T. DECANO ET PHYS. PROV.

PRO GRADV DOCTORIS

DEFENDET AVCTOR

CHRISTIAN GEORGE WOLFGANG BEHRISCH.



WITTENBERG. D. XV. NOV. MDCCLXV.

LITERIS CARL CHRISTIAN DÜRE ACAD. TYPOGR.

thol. gen.

353,4

*historia morbi.
therap. 52*



A SON EXCELLENCE

MONSIEUR

HENRI GOTTLIEB

COMTE DE LINDENAU

COMTE DU ST. EMPIRE, SEIGNEUR DE
MACHERN, ZEITITZ ET D'AUTRES TERRES *etc.*

GRAND ECUYER ET CONSEILLER PRIVÉ

ACTUEL DE SON ALT. SER. L'ELECTEUR

DE SAXE *etc.*

A SON EXCELLENCE

MONSEIGNEUR

H E R R N G O T T L I E B

C O M T E D E L I N D E M U N

C O M T E D U S E E M P I R E, S E I G N E U R D E

M A C H E R N, E T C. E T C. E T C.

G R A N D P R I N C E

A C T U E L D E S O U V E R A I N E T T E

D E S A S S E M B L E E



MONSIEUR



*Si j'ose mettre l'illustré nom de VOTRE
EXCELLENCE à la tête d'une
Dissertation academique, c'est que je m'y vois en-
couragé*

*couragé par l'abord gracieux qui LUI captive
les coeurs de tous ceux, qui ont l'avantage d'être
connu d'ELLE.*

*La protection, que VOTRE EXCEL-
LENCE a daignée accorder si généreusement à
mon pere, et les bontés, qu'ELLE veut bien
avoir pour un frère, au quel VOTRE EX-
CELLENCE a confié l'éducation de Son fils
unique, exige de ma part une reconnoissance,
que je fais gloire de montrer aux yeux du Public.*

Je

Je craindrois en ne saïssant pas cette occasion favorable, manquer au plus sacré de mes devoirs, et de retenir un tribut si légitimement dû aux éminentes qualites de **VOTRE EXCELLENCE**, et à l'accueil gracieux, qu'**ELLE** a daignée me faire quand j'ai eu le bonheur de L'aprocher. Je suplie **VOTRE EXCELLENCE** de vouloir être persuadée, que je n'ai d'autre but dans mon dessein que de **LUI** donner de preuves authentiques du
pro-

*profond respect avec le quel je ferai gloire d'être
toute ma vie*

MONSIEUR

de **VOTRE EXCELLENCE**

*Witteberg
ce 15. du Nov.*

1765.

*le tres humble et tres obeissant serviteur
Chretien George Wolfgang Behrisch.*



ADVERSARIA
DE
HISTORIA MORBI
ARIADNAEO IN PRAXI MEDICA FILO.

§. I.

Sanitas pendet ab aequilibrio inter vires vitales. Donec vires istae neque in defectu, nec in excessu peccant, vita perstat sana atque stabilis: Statim ac vero aequilibrium illud turbatur, sanitas vacillat, et corpus animale eo magis morbo mortique appropinquat, quo magis vires vitales ex parte vel augentur, vel imminuuntur, adeo ut aequilibrium virium vitalium
A defi-

11112

definiat sanitatem in sensu strictissimo, viresque istae machinae animali insitae, iusto moderamine ad motus determinatos producendos inter se conspirantes, ideam generalem motus sani praebeant.

§. II.

Definitio haec sanitatis presso pede nos ducit ad ideam morbi, siue sublatum aequilibrium inter vires vitales. Est autem morbus quilibet in sensu arctissimo excessus virium quarundam vitalium, iunctus cum defectu aliarum. Natura namque vitae nostrae posita est in vnione virium e diametro sibi oppositarum. Quantum accedit vni roboris, tantum deficit alteri efficaciae. Systole et diastole, pendent ab actione virium elementarium diuersa plane atque contraria ratione effectus suos in fluidis aequae ac in solidis exerentium motum absoluunt progressiuum, ac donec cum iusto moderamine atque aequilibrio agunt, motum progressiuum sanum producunt, statim vero ac vna vel altera excedit vel deficit, sublato hoc, quod sanitatem constituit, aequilibrio, ideam protinus concipimus motus progressiui morbosei, qui in diastole aucta febris vocatur in genere, et in systole aucta humorum lentorem exhibet.

§. III.

Omnis itaque vitae sanae cardo versatur in aequilibrio. Verum quam ardua sit res aequilibrium illud seruare, et quam multis imo innumeris rebus atque modis turbari possit, facile quisque videt, qui corporis nostri non quoad structum solum, verum etiam quoad mixtum, penitiorum cognitionem habet. Vires enim

enim omnes machinae nostrae, principiaque quibus illae inhaerent, cum non intima, ut aiunt chemici, mixtione, in massa sanguinis, ceu vitae thesauro, inter se sint unita, verum adgregata tantum, tot tantisque rebus, quae varia ratione in corpus nostrum agunt, in quantitate et efficacia sua augeri atque imminui possunt, ut innumerorum, qui in nos cadunt, morborum, causa praedisponens prima atque omnibus communis, in adgregatione virium vitalium sita, adeoque morbi mortisque germen in ipso vitae fonte radicare reperiatur.

§. IV.

Quae quidem dum animo perpendimus, et originem simul atque decursum morbi cuiusvis singuli contemplamur, aequilibrio virium pro norma atque modulo sanitatis atque morbi posito, facile intelligimus, quam difficile sit negotium, cum tot vires in machina animali ad motus sanos producendos conspirent, tamque multae atque diuersae res continuo in illas agant, earumque proportionatam dimensionem immutent, series illas concatenatas causarum atque effectuum, siue mutationum, quas simul sumtas variis morborum nominibus insignire consueuimus, a prima origine proficere, atque animo cernere, quae vires, qui motus, quantum a iusto aequilibrio recedant, id quod morbi historia in scholis medicis adpellari solet: quae quidem cognitio quantumvis multis saepe numero dubiis sit obnoxia, atque imperfecta, adeo tamen medenti est necessaria, ut illa carere nullo certe modo possit.

§. V.

Medicus in auxilium aegri adcersitus, cum latissimum illum, qui a confusa inde decumbentis atque adstantium relatione, ad indicata vsque specialissima, patet campum, animo emetitur, nisi concinnam morbi sciat conficere historiam, in labyrintho errorum pariter ac dubiorum plenissimo oberare sibi videbitur. Dum enim ex vna parte aegrotantis relationes atque lamentationes, adstantiumque animaduersiones, suspiciones atque praeiudicia, ex altera vero parte phaenomenorum syndromen, signorumque apparentem saepe, in morbis praecipue complicatis, collisionem et indicationum ambiguam haud raro inuentionem perpendit atque inter se conferre studet, animus profecto illius ita in innumera problemata vndique distrahetur, vt nisi omnia haec in ordinem quendam redigere, et systema inde morbi exstruere valeat, in oceano dubiorum se fluctuare existimauerit. Habent hanc quidem ob rationem tirones in praxi clinica commune id cum practicis empiricis vitium, vt in iudicio de morborum natura ferendo multum quantum hallucinantes, ob summam incertitudinem aut timiditati aut temeritati cedentes, vel parum efficiant, vel prorsus noceant. Medicus itaque morbum profligaturus in amplissimum hunc probabilitatum atque dubiorum, veritatum atque errorum, coniecturarum atque suspicionum labyrinthum descendens, ariadnaeo, vt Theseus olim Minotaurum debellaturus, opus habet filo.

§. VI.

Est autem ariadnaeum illud in praxi clinica filum, historia morbi, sine cognitio modi, quo quidem causae prae-
dispo-

disponentes, per occasionales eo usque augentur, ut uniuerso virium motuumque aequilibrio turbato, causam morbi proximam sistant, effectusque illos sensibus obuios procreent, quorum complexum vulgus morbum adpellat. Morbi itaque terminos circumscripturis, a sanitate ad mortem usque, quaecunque praeternaturaliter in machina nostra eueniunt, enumeranda, per causas explicanda, atque ordo modusque, quo sese omnes istae mutationes inuicem producant atque excipiunt, definiendus nobis esset. Cum vero innumerae sint, quae mutationes praeternaturales in machina nostra producere possunt, causae, easque omnes ac singulas a capite ad calcem inuestigaturi in immensum disquisitionum oceanum deuolueremur, sufficiat nobis breuiter quaedam de historia morbi cuiusuis singuli conficienda, in genere tantum commendare, quatenus genium ei proprium recta argumentatione declarat, ea tamen limitatione, ut morbi historiam non ad mortem usque, verum ab incremento solum ad vigorem usque, nos prosequi velle moneamus, quippe cum morbi cuiuslibet, pro diuersa aegrotantis dispositione, medendi methodo, atque causarum occasionalium applicatione longe diuersissimus esse exitus possit.

§. VII.

Diximus in praemissis, (§. II.) morbum esse excessum virium quarundam, iunctum cum defectu aliarum. Monuimus porro, (§. III.) praedispositionem primam in adgregatione virium vitalium esse sitam, mortalitatisque prima stamina in ipso vitae centro delitescere. Adiiciamus nunc pauca adhuc transitorie saltem de origine morbi, quo clarior inde nobis elucescat idea de natura, tum morbi ipsius, tum causarum eius

atque effectuum seu symptomatum. Mira enim est aequae ac solennis, quae in compendiis plurimis pathologicis obseruatur ideae huius obscuritas atque ambiguitas, tironibus non minus nociua quam eruditis odiosa, cum causam morbi proximam cum morbo ipso, et morbum iterum cum symptomatibus confusum videamus: quod quidem incommodum euitari facili negotio posset, dum modo nobiscum reputemus, morbum nunquam esse ens materiale, sed ideam abstractam, mente nobis sistentem effectum causae proximae, causam proximam contra esse semper vim materialem, iustum cum reliquis corporis viribus aequilibrium excedentem, motusque irregulares sensibus obuios, siue symptomata producentem, quorum relationes ad se inuicem dum animo inter se conferimus, iudicium de morbi magnitudine ferimus. Cum vero nullus in corpore nostro generari morbus possit, quin non a causis praedisponentibus, per occasionales ad conspicuam quandam magnitudinem perductis, oriatur, patet inde historiam morbi cuiusuis a causarum scrutinio incipere debere. Sunt autem causae praedisponentes, vires quaecunque corporis nostri plus iusto euolutae, occasionales vero, quaecunque vires extra nos positaе, corpori nostro applicatae virium motuumque aequilibrium turbant.

§. VIII.

Medicus itaque morbi historiam conscripturus, cum causarum scrutinium vtramque in praxi paginam facere sciat, atque ex vna parte causas omnes praedisponentes aequae ac occasionales animo sibi repraesentat, ex altera vero parte symptomatum concursum mente concipit, tria potissimum momenta summo opere attendenda sibi esse intelligit, nempe

VI

vt primo loco causarum omnium possibilium efficaciam atque actionem cognitam atque perspectam sibi reddat, deinde symptomata varia per causas explicare atque diiudicare valeat, denique ex vtraque cognitione inter se collata, iusta argumentatione in casu quouis obuio causas remotas, proximam, et morbum ipsum colligere, atque a se inuicem discernere studeat, id quod iam vberius declarabimus.

§. IX.

Incipit igitur historia morbi a causarum examine, quod vt eo rectius instituat medicus, eum meditando debet sequi tramitem, quo quidem omnis morbus in intima machinae nostrae latibula atque recessus irrepere solet. Id vero cum semper per causas occasionales fieri soleat, earum scrutinium omnino primo loco esset instituendum. Verum cum ex theoria physico medica constet, occasionalium nullam plane in corpus nostrum esse actionem, si praedispositio nulla iam adsit, earum vero effectum eo semper esse celeriores atque vehementiores, quo maiorem in corpore iam inueniant ad motus quosdam determinatos excitandos praedispositionem, hae omnium certe primo erunt inuestigandae, quibus ex relatione aegri vel adstantium, atque cognitione semiotica, rite perspectis, occasionalium efficacia maior vel minor, et vtrarumque concursus, atque causae proximae magnitudo eo maiori certitudine recto ratiocinio erit coniicienda. Est enim inuentio causae proximae conclusio formanda ex praemissis praedisponentibus et occasionalibus, omnemque is in historia morbi lapidem mouet, qui causarum omnium connexionem luculentissime perspicit. Sed eheu! quam ardua res! quam ingens copia! quam prodigiosa varietas!

rietas! Neque experientia atque vsus, nec ingenium atque analogia supplere semper poterunt, quidquid sit, quod in tanto causarum atque effectuum concursu obscurum nobis manet atque dubium. Quam multa autem sint, quae neque limatissima theoria, nec acerrimo iudicio detegi saepius possint, artis periti optime vident, atque lubenter fatentur. Nihilo tamen secius nulla non nauanda est opera, vt quam fieri possit profundissime in nexum illum causarum penetremus. Quod quidem vt eo facilius adsequamur atque certius, omnes causas remotas ob summam earum multitudinem atque confusionis metum in certas quasdam classes redigere debemus, quo melius in omnes inde in corpore nostro metuendas mutationes, tamquam ex turre in hostium phalanges dispicere, easque animo perlustrare queamus. Quoniam igitur per praedisponentes occasionalibus latissima patet atque aperitur fenestra, iam ab illis incipiamus, cumque illae in intimis quasi, vt in antecedentibus monuimus, machinae nostrae penetralibus delitescant, signaque adeo sint eruenda, ex quibus praesentia atque magnitudo eorum conici possit, horum vero alia iterum sensibus magis sint obuia, alia abstractione demum adsequi debeamus, agmen ducant illa, claudant haec.

§. X.

Sunt autem classes istae, ad quas omnes ac singulae causae morborum praedisponentes referri possint, potissimum octo, nimirum fabrica, aetas, sexus, robur, temperamentum, idiosyncrasia, morbus praegressus, dispositio haereditaria.

§. XI.

§. XI.

Fabrica, quae in physiologicis est index virium in illa agentium, in pathologicis exhibet omnes praedispositiones ad motus praeternaturales per mechanismum irregularem possibiles. Vti etenim in statu sano viribus mouentibus semper conspicitur adaptata atque proportionata, ita vario modo turbata, siue vitium sit congenitum, siue adscitum, tutissimum vsque est indicium, vires sese in illa exferentes, quas in motu determinare, dirigere atque moderari debebat, pro varia structurae anomalia, plus minus alienos prorsus effectus exferere debere. Possunt itaque effectus varii, inde in vniuersam oeconomiam animaleam redundantes, ex vsu partium haud fallaci argumento deduci, facillique negotio eruuntur, cum signa laesae proportionis inter solida sensibus magis pateant: quae enim partium internarum peruersa saepe numero deprehenditur structura, atque ad alias partes relatio, ad idiosyncrasiam magis spectat.

§. XII.

Aetas denotat varium atque successiuum virium mouentium atque sentientium incrementum atque decrementum, tum omnium in genere, tum quarundam tantum in specie: declarat itaque praedispositiones ad motus irregulares omnes extimescendos ab inaequali virium augmento, cuius quidem generis vitia potissimum sunt secretio atque excretio, nutritio atque cohaesio solidorum inaequalis.

§. XIII.

Sexus idea comprehendit omnes motuum anomalias in generationis organis, a peruersa structurae conditione, vi-

B

rium-

riumque perturbatione oriundas, adeoque actiones proprie sic dictas sexus turbatas mente nobis sistit.

§. XIV.

Robur, nisus solidorum siue elasticitatem, eorumque ad fluida, quae in tubulosa sua fabrica circumuehant, relationem exhibet, indeque aequilibrium, inter vires solidorum atque fluidorum, vario gradu turbatum, declarat, ita vt praenuntiet varia spasmorum atque atoniae genera.

§. XV.

Temperamenti consideratio variam humorum crasin, atque fluidorum, ratione quantitatis pariter ac qualitatis, ad solida relationem declarat: quae quidem cognitio, quantumuis sit difficilis, atque altioris indaginis, cum ex tot signis simul sumtis, solidorum scilicet conditione, secretionibus atque excretionibus auctis vel imminutis, maiori atque minori causarum occasionalium efficacia atque noxa, animique motibus colligi debeat, tanti tamen est momenti, vt omnem curationis cardinem in illa maxime versari, artis periti optime intelligant, cum solidas partes omnia fluidorum vitia luere, satis ac abunde pateat.

§. XVI.

Idiosyncrasiae theoria praeternaturalem partis cuiusdam, secretioni dicatae, conditionem manifestat, adeoque congestionum, et quae inde proueniunt, secretionum peruersarum varias species sistit. Est enim in quouis homine, vt vt omni numero

numero absoluta sanitate frui videatur, virium quaedam disproportion, quae vti temperamentorum, ita et idiosyncrasiae naturam absoluit, ea tamen differentia, vt in illis fluidorum, in hac vero solidorum magis vitium exhibeat. Praua haec viscerum inprimis atque partium glandulosarum constitutio, siue consistat in structo, siue in mixto, efficit vt fluida quaedam maiori, quam par est, copia ad partem quandam delata, secretionum, eoque ipso circuli humorum vniuersalis oeconomiam perturbent. Tantaem autem in praxi clinica huius praedispositionis examen est utilitatis, vt qui illud in historia morbi negligeret, incassum plane in curatione praestanda ageret, vti patet ex ardua illa, haemorrhagiarum naturalium per vteri anique venas, vel aegre succedentium, vel plane suppressarum, restitutione.

§. XVII.

Sequuntur iam vltimae praedispositionum classes, quae anamnestica in genio morbi inuestigando constituunt signa, morbi nimirum praegressi, atque dispositio haereditaria, quarum illa innumeras labeles solidorum potissimum, haec fluidorum maxime praeternaturales nifus declarat, vtraque vero in solidis et fluidis relictum aut inductum virium motuumque aequilibrium insigniter turbatum exhibet.

§. XVIII.

Hae itaque praecipuae sunt classes, quibus omnes mixti aequae ac structi praedispositiones comprehenduntur, et quae medico practico alta semper mente reposita esse debent, quo facilius occasionalium causarum in corpus nostrum efficaciam,

maiolem aut minorem perspicere, adeoque eo semper propius ad causarum concursum, siue genium morbi inueniendum accedere possit. Cum vero occasionales proprie magnitudinem morbi dimensam constituent, illae quoque iam nobis veniunt considerandae. Possunt autem omnes, quae praedispotionibus adaugendis ansam praebent, causae, ad tria potissimum capita referri, scilicet ad sex res, vulgo dictas, non naturales, consuetudines, atque vitae genera. Quamuis enim consuetudo, vitaeque genus, cum sensum sensimque vitiis suis intima oeconomiae animalis penetralia contaminantes, dispositiones irregulares innumeras inducant, et alteram quasi naturam constituent, praedisponentibus forte quoque adnumerari possint; attamen, quoniam physice non absolute sint necessaria mala, et a remotissimis tantum causis toto genere praeternaturalibus vnice dependeant, occasionalibus potius accensenda esse putavi.

§. XIX.

Prima igitur occasionalium causarum classis comprehendit sex res non naturales. Perpetua atque insignis earum in corpus nostrum efficacia ex theoria physiologica et diaetetica rite intellecta docet, nullo non tempore innumeris insultibus morborum aditum latissimum ad vitae sanitatisque nostrae intimos recessus patere, atque declarant, cum ab omni vndique parte corpus nostrum perpetuis mutationibus praeternaturalibus sit expositum, quae nulla profecto ratione plane auerti possunt, quam necessaria sit earum indagatio in genio morbi diuinando, earumque prudens applicatio atque regimen in causis morbi tollendis. Verum enim est, quidquid in morbo quouis curando spei sit expectandum, id ab occasionalibus

casiona-

casionalibus maxime, imo potius vnice esse expectandum: quae enim adhibentur remedia omnia ac singula occasionale tantum exhibent causas, ad aequilibrium virium motuumque restituendum, viresque sanitatis adhuc superstites, praedisponentes in curatione constituunt causas.

§. XX.

Consuetudines, cum nisus quosdam virium mouentium aut sentientium, praeternaturaliter ad certas quasdam partes dirigant, lento quidem sed rectissimo tramite, ad dispositiones morbosas inducendas, et idiosyncrasiae maxime efficaciam adaugendam procedunt, adeoque et in historia morbi formanda, et in curatione praestanda, summo opere sunt attendendae.

§. XXI.

Vitae denique genus summam quasi exhibet effectuum omnium, quos a diuersa sex rerum non naturalium, imo rerum toto genere praeternaturalium applicatione expectare licet.

§. XXII.

Tot igitur tantaeque sunt pernicierum turmae, a quibus corpus nostrum in dies summas accipere clades potest. Quas autem vt medicus imminentes auertere, praesentesque reparare valeat, primo quidem loco omnes ac singulas causas praedisponentes pariter ac occasionales, quatenus in aegroto, fidei suae commisso, effectus perniciales edere potuerunt, figillatim inuestigare, atque sollicitè perpendere debet, qua quidem ratione non solum et morbi inde conflati genium, verum etiam,

quae semper ad naturam morbi pertinet, mali magnitudinem, inueniet. His itaque, quae basin omnium morborum constituunt, causis perspectis, altius semper atque altius ad effectus inde prouenientes ratiocinando ascendit, idque eo ordine, quo quidem motus machinae animalis sibi inuicem sunt subordinati, donec ad conspicuos illos effectus deuenit, qui secundum receptam in scholis medicis definitionem morbi, ad praesentiam eius pertinent, simulque causam illam proximam materialem detegat, vel quantitate vel qualitate vel vtraque ratione peccantem, quae symptomatum matrix est.

§. XXIII.

Quae cum ita sint, videmus iam medicum in inuestigando genio morbi a causis simplicioribus ad effectus magis compositos methodo synthetica progredi, adeoque historiam morbi primo loco esse syntheticam meditationem, qua mens nostra, ceu filo ariadnaeo, ab axiomatibus generalioribus ad confectionaria specialissima perducitur. Verum enim vero etiam si hac methodo ad inuentionem naturae morbi recto tramite perueniamus, nihilo tamen secius eadem via retrorsum nobis est repetenda, quo certiores de veritate inuenti fiamus, quoque pleniorum atque clariorem ideam de statu praesente morbi, deque indicationibus formandis, concipiamus. Fit autem id methodo analytica, quippe qua ab effectibus siue symptomatibus perceptis ad primas causas latentes meditando regredimur.

§. XXIV.

Est autem analysis pathologica inquisitio symptomatum, eorumque per causas explicatio, hac a iusta argumentatione
causali,

causali, illa a relatione aegri atque examine medici pendente. Cum enim relatio aegri atque adstantium plerumque maxime confusa, minimeque ad iudicium inde formandum sit sufficiens, eaque tantum potissimum medico enumerentur symptomata, quibus aeger praecipue vrgetur, alia contra partim pudore, partim nescio qua incuria reticeantur, examen medentis omnem in hac disquisitione lapidem moueat necesse est, cumque pathologicis symptomata sint actiones insigniter laesae, actionum vitalium, animalium, et naturalium laesiones ex signis suis disquirere, omnium vero maxime dolorum naturam, sedem, gradum et tempus exacerbationis perscrutari debet, quo quidem pacto, habita ratione aequilibrii inter vires, et de maiori vel minori vitae sanitatisque discrimine, et de indicatione prophylactica, vitali, curatoria, atque palliativa formanda certior redditur medicus.

§. XXV.

Medicus itaque in tanta causarum atque effectuum syndrome, complicatione atque labyrintho, sub initio a causis cognitis ad effectus incognitos, synthetica via, ad naturam morbi, in centro quasi latitantem, penetret, in processu vero meditationis a symptomatibus cognitis ad effectus vsque, analytico tramite redeat: id quod exemplo quodam, legibus superius traditis apto, illustrabimus, eumque in finem casum quendam practicum chronici morbi quam frequentissimi eligemus. Qui etenim systematica illa, naturam morbi a priori indagandi, methodo supersedere posse existimant, aut ingenio practico exercitatissimo polleant, aut mirum quantum in morbis praesertim complicatis fallentur: id quod in nominibus morbis imponendis eidentissime saepius adparet,

patet, quod quidem negotium medicos saepenumero vehementer excruciare videmus, de nomine magis, quam de genio sollicitos. Omnis itaque opera nauanda est, vt ex iis, quae in aegro quouis in aprico sunt, causarum signis, hypothefin prius de genio morbo cuius proprio efformemus, eamque tunc symptomatum confideratione confirmemus atque emendemus.

§. XXVI.

Decumbit annorum plus quam triginta, debilis admodum femina, temperamenti fanguineo melancholici: menfium ataxiis vsque fuit vexata: matre vtitur iisdem perturbationibus valde obnoxia, patre haemorrhoidario. En causas praedisponentes (ad §. X. feq.) Adcedunt occasionales hae: (ad §. XVIII. feq.) aer autumnalis humido tepidus, ex ingeftis cibis lautior, potusque, praeter haustum Coffee faturatiorem fere nullus, excretiones, praeter cutaneam, fere omnes fegniores, motus corporis plane deficiens, fomnus largior, animus impatiens, facile commouendus, timidus, confuetudo, praeter pulueris fternutatorii vsum, nulla eminens, vitae genus fedentarium, otiofum.

§. XXVII.

Hoc causarum apparatu inftitutus medicus, fyntheticè meditando iam intelligit omnem et praedisponentium, et occasionalium fyndromen in eo puncto collineare, vt genium morbi inde oriundi fitum effe videat in turbato aequilibrio circuli fanguinis, qui obice in venis vteri pofito, qua data porta ruat ad partes, et idiofyncrafia debiles, et
caufis

causis occasionalibus relaxatas atque irritatas, ibique ob defectum motus progressiui impactus haerens, varias rheumaticas passiones vagas procreet. Est itaque causa huius perturbationis proxima ipsa massa sanguinis, et abundantia, et spissitudine peccans. Debent itaque adesse signa impediti motus progressiui inaequalis, congestionis versus superiora, atque rheumatismi incipientis. Inquirenda igitur sunt symptomata (ad §. XXIV.) vt illa cum statu morbi, mente concepto, conferre, methodumque syntheticam ad analysin, tamquam ad lydium lapidem, referre possimus.

§. XXVIII.

Occurrunt autem symptomata sequentia; pulsus paruus, contractus, subdurus, frequens, respiratio paullulum citatior, sensuum aliqua vertiginosa obnubilatio, motus voluntarii languor, fluxus menstrui non plenaria quidem suppressio, verum tamen euidens turbatio, adpetitus prostratus, aluus tarda, vrina parcior, perspiratio modica, spasmi peripheriei intercurrentes, dolores rheumatici in inferioribus extremitatibus, tensiui, vespertino plerumque tempore exacerbati, in capitis et sincipitis quidem musculis continui, facies subrubicunda, oculi lacrymantes. Quae quidem omnia, si causas eorum recto ratiocinio disquirimus, ab omni profecto parte cum causis supra commemoratis conuenire senties, atque euidentissime intelliges, quod si cuncta haec symptomata rite sibi inuicem subordinaueris, genium huius mali synthetice prius praesuppositum, nunc analysi comprobari atque confirmari, qua quidem ratione iam indicationes simul omnes facile elucescunt.

C

§. XXIX.

§. XXIX.

Cum itaque pro ea, quam de aequilibrio motuum, tamquam de norma atque modulo status sani pariter ac morbofi aestimandi, in superioribus dedimus, theoria omnem indagationem genii, morbo cuius proprii, in cognitione aequilibrii virium motuumque varia ratione perturbati sitam esse videamus, omnes certae theoriae limatissimae atque experientiae probatissimae vires eo impendere debemus, ut in casu quovis obvio ne leuissimum quidem symptomata negligamus, quod ad cognitionem illam acquirendam atque stabilendam villo modo facere possit, praesertim cum exceptis iis, quae signa vocare solemus pathognomonica, omnis in praxi medica demonstrationum vis in quantitate potissimum atque syndrome signorum versari, firma atque indubia experientia constet. Quamvis enim negari non possit, ne vilius quidem morbi historiam ad mathematicam certitudinem perducere posse, cum laesionum in corpore nostro qualitate licet perspecta, quantitas tamen earum determinari nulla profecto ratione queat, nihilo tamen minus summo certe studio eo adniti debemus, ut definita a nobis methodo, quam fieri potest, profundissime in genium morbi detegendum penetremus, cum nulla protinus alia ratione certi quidquam, et de statu praesente morbi, et de euentu futuro, pronuntiare, medentisque religioni atque officiis satisfacere valeamus.



XXIX

C